

est. Id ipsum enim præstitum aliàs fuisse meminimus in hac eadem Urbe, sub fel. rec. Prædecessore nostro Clemente Papa XI. tunc quum sæculari Foro traditus fuit quidam capitali pœna pleendus, eo quod Sacerdot. Ordine non insignitus, Missam celebraverat.

§. 20. Cum his igitur, qui usque nunc comperiti fuerint ad Sacrum Presbyteratus Ordinem non promoti, Missam celebrasse, aut Sacramentales Confessiones excepisse, juxta rationem hæcenus descriptam, à competentibus Judicibus, & Tribunalibus agendum decernimus. Sed quoniam hujusmodi crimen, utpote gravissimum, & satis super-

que frequentatum, omni ratione præcavendum, & quantum fas est, à Christiana Republica eliminandum, extirpandumque Nobis esse cognovimus; novam hæc de re legem à Nobis statutam per Apostolicarum Constitutionem (cujus exemplum Epistola huic annexum Fraternitas tua accipiet) in posterum, post tres scilicet menses ab ejusdem Constitutionis data computandos, omnino servari, & ad effectum perducendum, Tibique interim, Venerabilis Frater, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 2. Augusti 1757. Pontificatus nostri anno 17.

*Nec suffragatur criminis confessio in primo interrogatorio, ad evadendam pœnam traditionis brachio sæculari.*

**BENEDICTUS EPISCOPUS**  
Servus Servorum Dei, ad perpetuam  
rei memoriam.

**D**ivinarum, humanarumque Legum custodia vigilantia nostræ concedita hoc Nobis onus imponit, ut & assiduo studio caveamus, ne scelera, atque flagitia contra ipsas Leges committantur, & ut ea, quæ ab iniquitatis filii perpetrari contingat, juxta pœnarum rigore, ad formam Sanctionum iustæ Legibus adscriptarum, puniri, & vindicari curemus.

§. 2. Sane Nos aliàs, gravissimum eorum delictum detestantes, qui ad Sacerdotalem Ordinem non promoti, Missarum Sacrificia celebrare, Fidelium Confessiones excipere, & accedentibus ad Eucharisticam Mentam, Panem à se nulliter consecratum distribuere, ausu temerario præsumerent; edita Constitutione, que incipit: *Sacerdos in æternum*, data 12. Kal. Maii, anno Incarnat. Dominicæ 1744. Pontificatus nostri IV. antiquiores Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Constitutiones adversus hujus generis delinquentes jam pridem editas confirmantes, & innovantes, complures alias declarationes, atque cautelas addimus, ad eliminandum à Christiana Republica sacrilegum ejusmodi facinus maxime opportunas, que distincte legi possunt in citata Constitutione nostra, impressa in Bullario nostro Tom. 1. num. 97.

§. 3. His tamen ampliolem providentiam nunc superaddere cogimur, ut aliud delinquentibus effugium ibi non enunciatum, & ab invecta sententia in Tribunalibus consuetudine jam ipsis pœne concessum, quo debitas sibi graviore pœnas plerique evadere possent, una cum cæteris per dictam Constitutionem nostram sublatis, pariter adimamus.

§. 4. Invenimus siquidem hunc morem hæcenus observari consuevisse, ut si Reus constitutus, quum primum à Judice interrogatus fuerit,

an sciat qua de causa carceribus inclusus sit, aperte, & candide delictum suum fateatur, & naret; tunc is, veluti sponte confessus, ad obtinendam pœna minoracionem habilitetur; quod nimirum eo recidit, ut ad Triremes, vel ad carcerem perpetuo damnetur, sed nequaquam Foro Sæculari tradatur, tanquam capita is criminis reus; quemadmodum prælatæ Prædecessorum nostrorum Constitutiones, à Nobismetipsis, ut iuradiximus, confirmate, & innovate præteribunt, uti latius à Nobis expositum est in Epistola Encyclica ad Antistes Ordinarios Locorum, & Judices in hac materia competentes hæc ipia die per Nos data.

§. 5. Quum autem experientia compertum fuerit, plerique reos, qui Sacerdotali characterem carentes Missam celebrarunt, aut Sacramentum Pœnitentiæ nulliter ministrarunt, de hujusmodi Tribunalium indulgentia satis edoctos, vix unquam omittere, quin statim atque carceribus detenti, & coram Judice constituti fuerint, delictum suum diserte confiteantur, ad hoc ut traditionem Foro Sæculari, extremumque supplicium exinde consequens, evadant; quumque hæc ratio re ipsa eveniat, ut vix ullus sit ex hujusmodi criminis reis, qui moderationem pœnæ in præfatis Constitutionibus statuta non obtineat; eoque beneficio fruatur, ut quum Sæculari Foro, tanquam capitali iudicio damnatus, & mortis reus, tradendus fuisset, perpetuo potius Carceri, aut Triremibus mancipetur;

§. 6. Idcirco Nos perniciosam hujusmodi praxim de medio tollere coacti; motu proprio, & certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, per hanc nostram perpetuo validitatem Constitutionem decernimus, atque statuimus, in posterum, videlicet post tres menses à data præsentium Litterarum computandos, nulli amplius Clerico, sive Laico impediti criminis reo, promerita pœna minoracionem ullam concedi debere, sive post, intuitu promptæ, apertæque confessionis, qua

qua delictum suum in circumstantiis superius enunciatis Judici factus fuerit; sed, ea non obstante, omnes, & singulos in præcedentibus Constitutionibus hæc de re editis comprehensos, à Judice competente, in casibus ibidem expressis, prævia etiam degradatione, quatenus opus sit, tradendos omnino fore, & esse brachio Sæculari, capitali pœna puniendos.

§. 7. Sicque, & non aliter in præmissis censeferi, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, nostrosque, & Apostolicæ Sedis etiam de Latere Legatos, seu Nuncios, & in quibuscumque Tribunalibus, & Officiis, etiam specifica mentione dignis, sublata cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, definiri, & post lapsum trium mensium, ut supra, ad executionem, & effectum omnino perducere debere.

§. 8. Non obstantibus contrariis quibusvis generalibus, vel specialibus, Constitutionibus, Ordinationibus, & Decretis; necnon dictorum Tribunalium, & Officiorum praxi, stylo, statutis, usibus, & consuetudinibus; etiam immemorabilibus; Personarum quoque, Locorum, & Ordinum, Congregationum, Societatum, Instituto-

rum, & Militiarum Privilegiis, Exemptionibus, & Indultis, quæ supradictæ prioris Constitutionis nostræ executioni decrevimus non obstante; Quibus omnibus, & singulis, etiam ad præsentium Litterarum nostrarum effectum, item plenissime, & amplissime derogamus, cæteri que contrariis quibuscumque.

§. 9. Nulli ergo hominum liceat paginam hanc nostrorum Decretorum, Statutorum, & Derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Dei Omnipotentis, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incururum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1757. quarto Nonas Augusti, Pontificatus nostri anno decimo septimo. J. Card. Pri-Dar. D. Card. Passioneus. V. de Curia J. C. Boschi L. Eugenius. Loco & Plumbi. Registrata in Secretaria Brevium. Publicata die 11. Augusti 1757.

De Monialium Confessoribus, vid. supr. ad Part. 2. cap. 3. & 5. De reliquis vero in ipso Pœnitentiæ Sacramento delinquentibus, infr. ad Tom. 2.

## CIRCA INDULGENTIAS, ET JUBILÆUM.

*Ad d. Part. 4. Cap. 8. §. 9.*

*Indulgentiæ pro recitantibus quinque flexis genibus Orationem Dominicam, & Anglicam, singulis Feriis sextis.*

**BENEDICTUS PAPA XIV.**  
Ad perpetuam rei memoriam.

**A**D Pœnitentiæ, & Agoniæ Redemptoris, & Domini nostri Jesu Christi, unde nobis vita, salus, & resurrectio manavit, memoriam in omnium Christi fidelium animis excitandam, atque fovendam Cœlestibus Ecclesiæ Thesauris, quorum dispensationem Nobis creditit Altissimus, omnibus & singulis Christi fidelibus, qui singulis Feriis sextis totius anni, hora tertia post meridiem, ad sonum Campanæ Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium, & Parochialium (quarum Parochis, Rectoribus, aliisque quocumque nomine appellatis Superioribus, ut Campanam uniuersitque Ecclesiæ hujusmodi pulsari faciant, injungimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus) flexis genibus quinque Orationem Dominicam, & toties Salutationem Ange-

licam devote recitaverint, & oraverint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, necnon salutari perditionum hominum emendatione pias ad Deum preces effuderint, centum dies de injunctis eis, seu aliis quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus validit. Volumus autem, ut earundem præsentium Litterarum transcriptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Decembris 1740. Pontificatus nostri anno primo D. Card. Passioneus.

*Indulgentia pro docentibus, & addiscentibus Orationem Mentalem, ipsamque exercitentibus.*

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, & Præfibus locorum Ordinariis universis gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

**BENEDICTUS PAPA XIV.**  
Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

**Q**uemadmodum nihil est hominibus à familiari Dei consortio, & consuetudine avulsis, & ejectis, ad divinos hauriendos fulgores, & ad æternam salutem procurandam, & ad Deum quasi manu facta coeundum, magis opportunum, salutare, ac necessarium Oratione, quæ est vultus ascensus animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, invisibilium desideriorum, conjunctio Spiritui Sancto, & ad Deum locutio; ita, ne desolatione deleatur univèrsa terra ex eo, quod nullus recogitet corde, omnes, & singuli ubique, & semper salutaribus præceptis moneandi sunt, quod oporteat semper orare, & nunquam desicere; ut in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, petitionibus nostris innotescantibus apud Deum, ipse qui dives est in omnes eum invocantes, nec nostras ab se deprecationes, nec suas à Nobis amoveat miserationes. Eapropter Prædecessores nostri Romani Pontifices divina institutione formati, ut Christi fideles ad orationis, sive vocalis, sive mentalis, ut dicitur, illa sit, studium cum alacritate inendum, & sine intermissione frequentandum incitarent, eisdem tum cohortationibus inflammare, tum cœlestium etiam numerum thesauris, quorum dispensationem ipsis crediderat Altissimus, allicere studuerunt. Indulgentias enim, peccatorum remissiones, & de injunctis eis quomodolibet debitis poenitentis relaxationes elargiti sunt iis, qui sive vocales preces recitarent, sive per aliquod temporis spatium quotidie in lege Domini meditentur. Nos autem laudatissimis eorumdem Prædecessorum nostrorum exemplis incensum, non solum omnes, & singulas indulgentias, peccatorum remissiones, & poenitentiarum relaxationes per eisdem nostros Prædecessores pro recitantibus quascumque vocales preces (dummodo nunquam revocate fuerint) aut quomodolibet orantibus, quocumque modo sive ad tempus, sive in perpetuum ad hanc usque diem concessas, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium, sub iisdem prorsus modo, ac forma confirmamus, & quatenus opus sit, de novo concedimus; verum etiam alias insuper iis præsertim, qui mentalis orationis, seu meditationis studio operam dederint, ut infra, imper-

timur. Primum itaque omnibus & singulis, sive qui tam in Ecclesiis, quam alibi, & ubicumque locorum publice, & private quoscumque homines orandi, seu meditati rudes quomodocumque orare, & meditari docuerint, sive qui pie orandi, & meditati institutioni hujusmodi, ut præmittitur, interfuerint, dummodo vere poenitentes, ac Sacra Communione refecti, qua vice id egerint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Iis vero tam docentibus, quam addiscentibus, qui assidue præmissa peregerint, ac similiter vere poenitentes, ac Sacra Communione refecti, pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione piæ ad Deum preces effuderint; semel in mente pro uniuscujusque commodo, & arbitrio, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quam per modum suffragii animabus Christi fidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Insuper iis, qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadantem horæ singulis diebus, & per totum mensem, orationi mentali dabunt operam, & vere poenitentes, & confessi, Santissimum Eucharisticæ Sacramentum lumserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione piæ ad Deum preces pariter effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quam itidem per modum suffragii animabus Christi fidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, auctoritate, & tenore similibus misericorditer in Domino elargimur. Etsi autem, juxta Divinum Domini nostri Jesu Christi præceptum, oportet ut quisquis oraturus, ne adinstar hypocritarum videatur ab hominibus, intret cubiculum suum, & clauso ostio, oret Cœlestem Patrem in abscondito: tamen, cum ipse Dominus dixerit, quod ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, & Sanctus Joannes Chryostomus prædicet, esse in oratione cum fratribus plus aliquid, videlicet concordiam, conspirationem, amoris conjunctionem, & charitatis clamorem sancti societate, ex qua orationes infirmiores se simul complexas, validiores in Cœlum evehi: optimum esset, ubi commode fieri possit, ut, quemadmodum in nonnullis institutum esse accepimus, ita in omnibus, & singulis Diocæsis in more poneretur; nimirum, ut singulis diebus dato certo Campanarum signo, sive in Ecclesiis, dum-

modo totius populi multitudo æquæ in locum, ubi oret, maculis à sœminis seorsim collocatis, convenire facile possit, & ulla laboriarur confusio, & inordinatio, sive in propria Domo Patrefamilias eo, aut alio opportuniori tempore, ante Imaginem Sacram cum tota Familia convenientes orent. Eapropter Vos, Venerabiles Fratres, rogamus, & in Domino hortamur, ut omnibus & singulis Ecclesiarum, pioremque locorum, in Civitatibus quidem Cathedralis, aliarumque præcipuarum Ecclesiarum, in Oppidis vero Parochialium Ecclesiarum Superioribus, ac Rectoribus injungatis, ut, præmissis Campanæ sonitu iis diebus, iisque horis, quibus Vobis opportunus in Domino visum fuerit, dando, decernendoque, omnes Christi fideles uniuscujusque cure commissos, quos in unum convenire contigerit, in mentalis orationis studio erudire, sive per alios peritos erudiri faciant, atque ad illam frequentandam accendere, necessitatem, utilitatem

que proponere, indulgentiarum thesauros, quos de benignitate Apostolica elargimur, explicare, & ad ipsos ea, qua decet, pietate, ac reverentia lucrandos inflammare studeant, & entantur; atque etiam, si commode, ut præmittitur, fieri poterit, orationi mentali in communi practica, ut dicitur, vacare, in eaque exerceri faciant, & curent. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum tranlumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo pectore in dignitate Ecclesiastica constitute munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhibetur ejusdem præsentibus, si forent exhibita, vel ostensæ. Interim Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Decembris 1746. Pontificatus nostri anno septimo. *Cajetanus Amatius.*

*Ampliatur Episcopis facultas impertiendi, etiam per ipsorum Subdelegatos, Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo constitutis.*

**BENEDICTUS EPISCOPUS,**  
Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

**P**IA Mater Catholica Ecclesia, de æterna Filiorum suorum salute in primis sollicita, quæ hanc intelligat ab extremo ipsorum mortis articulo potissimum pendere, nunquam prætermittit omnibus eos subsidia pro hujusmodi temporis necessitate opportunis juvare, atque intrudere, tam iis nimirum, quibus opus esset ad æterna præcavenda supplicia, quam quæ apta, & salubria forent ad evitandas penas temporibus definitas, quas in altera vita humanis pleurumque spiritibus, etiam dimisso mortalis culpæ, æternæque pœnæ reatu, in Purgatorio igne lucendas manere non ignorat. Quamobrem, licet ex veteri simul, & recenti Ecclesiæ disciplina, graviorum quorundam criminum absolutio Romano dumtaxat Pontifici in universo Christiano Orbe, aliorum autem singulis Ecclesiarum Præfibus in eorum Diocæsis, reservata fuerit; attamen adveniente unicuique Fidelium supremo migrationis die, omnes hujusmodi abolitionum reservationes cessare, & cuilibet Sacerdoti liberari, & plenam facultatem esse, quemcumque poenitentem à quibuscumque peccatis, & criminibus, necnon Ecclesiasticis sententiis, atque censuris absolvendi, quod declaratum fuit. Præterea quæ in Ecclesia immensus, & inestimabilis existat Thesaurus spiritualis, ex infinitis constant satisfactionibus Passionis, & mortis Domini nostri Jesu Christi, ac præterea ex meritis, & satisfactionibus Gloriosæ Virginis Genitricis Dei **MARIE**, omniumque Sanctorum, & Electorum, cu-

jus Thesauri dispensationem Salvator noster Beato Petro Apostolorum Principi, eique in perpetuum Successoribus tradidit; hoc semper summo studio curarum Prædecessores nostri Romani Pontifices, ut illius divitias in moribus Fideles large diffunderent, & maxima omnium amplitudine, quæ Indulgentia Plenaria nuncupatur, eujusque impertiendæ jus in Apostolica Sede unice residet, ipsis potissimum applicarent. Quam quidem in rem Episcopi per Ecclesias constitutas vices suas cum opportunis facultatibus delegarunt; ne ullus in Orbe terrarum angulus esset, ubi Catholice Religionis professoribus hujusmodi adjumenti copia deesset, pro extremo illo momento, quo ipsorum salutis causa in discrimen adducitur.

Hactenus hujusmodi facultas Episcopis concessi contuevit, Pontificis nomine, & auctoritate, per privatas Epistolâ ipsius Secretarii Breviarum secretorum, qui exposita Pontificis petitione pro parte eujusque Episcopi, & pro spiritali utilitate ipsius Subditorum ad se delata, describere solebat, petitam facultatem ab ipso Pontifice eidem indulgeri ad *Triennium proximum*; hac tamen lege ut ipse ea uteretur, nimirum Benedictionem impertiret, & indulgentiam Plenariam ægrotis, in mortis articulo constitutis largiretur *per se ipsum immediate*, vel, quatenus Episcopus suffraganeum haberet, *per Dominum suffraganeum suum*; nec, nisi necessitate cogente, & quidem nocturno tempore, alicui Sacerdotem in singulis peculiaribus casibus subdelegare posset: „ Ubi vero præcisa necessitas exegerit, „ ac insimul noctis tempore dumtaxat, idem per „ mittit, ut alicui Sacerdoti pio, per Dominationem Vestram quavis vice eligendo, &c. com.

„municione valeat. „ Quo vero ad Moniales, Ordinariorum earum Confessarii opera in eum finem uteretur.

Hanc porro facultatem, prout in huiusmodi Litteris concedebatur, Ecclesiarum Pastores iam dudum iudicantur angulis nimium limitibus circumscriptam; non solum ob breve Triennii spatium ipsi præsumtum; verum etiam quia, propter relatas leges circa illius usum præscriptas, ab huiusmodi Indulgentiæ Plenariæ beneficio excludi videbant plerique fideles sibi subiectos, præsertim vero eos, quos extra ipsorum Residentiæ locum, & in remotis Diocæsium regionibus infirmari contingeret; nec defuerunt instantiæ Vicariorum Capitularium, & Vicariorum Apostolicorum, sicut etiam Prælatorum inferiorum Territorium separatum habentium, cum activa in Clerum, & Populum jurisdictione, qui eandem facultatem Episcopis concessit solitam, sibi quoque tribui postularent: Quibus de rebus actum fuit die 22. Novembris 1710. in Congregatione S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præposita, cuius Consultoris officium in minoribus pariter constitutum obtinebamus; sed nihil tunc temporis est innovatum, relinquo in priori statu relicta fuit.

Cum vero deinceps alterum quoque munus Secretarii Congregationis Decretorum Concilii Tridentini Interpretis Nobis in minoribus pariter degentibus demandatum fuisset; instante Episcopo Mazariz tunc existente, duo Dubia eidem Congregationi definiendi propulsumus, unum videlicet, an, stante dispositione præmissarum Episcopolarum Secretarii Brevium, ut scilicet Episcopus pro impetrandi Monialibus Benedictione, & Indulgentia Plenaria eidem in articulo mortis applicanda, earum Confessarii opera uteretur, licet circum sit Episcopo, Monasterii Claustra ingredi, ut huiusmodi pium opus per se ipsum aimpleat; alterum vero, quatenus id Episcopo permittatur, an, & à quibus comitatus Monasterium ingredi debeat; super quibus, perpenso Folio à Nobis pro huiusmodi questionum elucidatione de more exarato, die 10. Maii anni 1727. responsum fuit, ad primum: Licere Episcopo, quoties voluerit, ad impetrandam Benedictionem Moniali in mortis articulo condititate Monasterium intrare. Ad secundum; Episcopo ad hunc effectum intra Monasterii septa se conferenti comites esse debere Confessarium ordinariam ipsius Monasterii, sicutque Sacerdotem ipsius Episcopi arbitrio eligendum. Rescripto autem additum fuit: *Et ad Dominicam Secretarium cum Eminentissimo Secretario Brevium;* quibus nimirum verbis Nobis demandatum fuit, ut cum bonæ memoriæ Cardinali Oliverio nuncupato, tunc Brevium Secretorum Prædecessoris nostri Benedicti Papæ XIII. Secretario, ageremus, pro ampliacione facultatum in memoratis Episcopis contentarum, quarum formulam à Nobis in Folio tunc eidem Congregationi, ut præfertur, exhibito, integre in-

fertam, ipsa Congregatio paulo arctioribus con-

cludam limitibus iudicavit.

Neque porro omnibus injunctum Nobis usque agenda cum præfato Cardinali Brevium Secretario quamprimum implere; verum quum paulo post ab eodem Benedicto Prædecessore in Collegium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium cooptati, ad regendam Episcopalem Anconitanam Ecclesiam Nos contulerimus, ex qua brennio post ad Metropolitanam Bononiensem translati fuimus, non liquit Nobis negotium illud ad optatum finem perducere. Interim vero, quum non minus pro Anconitano, quam pro Bononiensi Populo, huiusmodi facultatem Indulgentiæ Plenariæ moribundis Fidelibus impetrandæ ab Apostolica Sede, ut par erat, expetitam, juxta consuetam formam, ac superius enunciatis limitibus circumscriptam obtinuissimus; ipso statim usu, & propria experientia, in eas incidimus difficultates quas & anno 1710 ut præfertur, in Congregatione Sacris Reliquiis, & Indulgentiis præposita, à Nobis tanquam Consultore propolitæ fuerant; quæque deinceps anno 1727. alteri Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum à Nobis etiam, pro Secretarii munere; expolite, causam dederunt memoratæ consultationi cum Secretario Brevium introducendæ. Etiam tum in Anconitanâ, tum vero in amplioribus Bononiensis Ecclesiæ regimine, animadvertimus, ob interditam Nobis huiusmodi facultatis subdelegationem, omnes pierumque Diocæsibus habitatoribus hoc tanto spiritali beneficio summis fuit temporibus orbatos manere; & quidem cum irreparabili damno, deficientibus per Diocæsium Collegiis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quibus à sel. rec. Prædecessore nostro Alexandro Papa VII. per Litteras die 15. Januarii anni 1656. datas, & perpetuo valituras, indultum fuit, ut Christi fidelibus in mortis articulo constitutis Benedictionem cum indulgentia Plenaria impertiiri valeant; nec aliis extantibus Cœnobiis Regularium, quibus, pro Contratribus piarum quarundam Societatum ab eorum Ordinibus institutarum, similis Indulta, & Privilegia ab Apostolica Sede concessa fuerunt. Quod vero spectat ad Incolas ipsius Civitatis, si quidem hæc, ut Bononia est, frequentiori Populo sit referta, cum facultas substitutiendi non aliter in præfata Epistola tribuatur, quam in casu prædictæ necessitatis cum nocturno tempore conjuncto, cum magno animi nostri dolore experti sumus paternæ huiusmodi charitatis actus erga dilectos in Christo Fios nostros, non ea assiduitate, quam cupiebamus, per nos ipsos præstari posse. Nam præterquamquod necesse habebamus nonnullis per annum mensibus à Civitate abesse, ut juxta præscriptum Sacræ Tridentinæ Synodi, si non totam, saltem aliquam illius amplæ Diocæsibus partem singularis annis coram invisendo; corrigendo, docendo, & Sacramentum Confirmationis visitatis plebibus mi-

nistrando, lostraremus; jam in ipsa Civitate degentes, nullam fore diurni temporis horam, vel à Divinis rebus, vel à Pastoralis Officii occupationibus vacuum habebamus; dum pro occurrentium negotiorum expeditione, nunc adeptum postulationibus, nunc Ministrorum relationibus, nunc Congregationum consultationibus operam dare oportebat; recurrentibus autem Ordinationum temporibus, vel eventibus Ecclesiarum Parochialium vacationibus; aut cessantibus Confessoriarum facultatibus, quas, ad nova de ipsis experimenta identidem capienda, nonnulli temporibus definitas interdum concedere consuevimus, examina, atque concursus sine Nobis haberi non permittebamus. Et sane, si quis Episcopalis vite conditiones, ut vere se habent, considerare velit, facile agnoscat, majorum Civitatum Episcopos fore redactos esse ad huiusmodi Benedictionis, & Indulgentiæ beneficium aliquibus dumtaxat personis, vel genere, vel aliis qualitatibus conspiciis, & quidem instantibus, & postulantibus, exhibendum; pauperibus autem, & humilioribus, ob præclusam sibi, extra necessitatis, & noctis tempore, subdelegandi facultatem, vix unquam succurrere posse.

Quod si satis momenti, & auctoritatis haberet sententia à nonneminè propolita, Plenariam scilicet Indulgentiam in mortis articulo concedendam non esse, nisi his, quorum eximia in Ecclesiam merita extitissent; ea nimirum de causa, quod quum pro huiusmodi Indulgentiæ consequutione, vel nullum omnino opus injungi, vel nonnulli morientis statui, & viribus accommodatum imponi possit, præterita dumtaxat in Ecclesiam merita, cum extrema presentis necessitate conjuncta; locum supplere possint aliorum operum, quæ ceteroquin ad Plenariam Indulgentiam adipiscendam præscribi solent; nihil profecto esset, cur aliquid nunc à Nobis innovando statuere. Verum Prædecessorum nostrorum hac in re agendi ratio, relata opinionis contraria dignoscitur. Ut enim multas prætereamus concessiones Indulgentiæ Plenariæ morientibus fidelibus indistincte applicandæ; quenam porro, & quam magna in Ecclesiam promerita fuisse dicimus eorum, qui quatuor abhinc sæculis, pessifera lue per Angliam grassante, ex hac vita decedebant? Quibus tamen omnibus, dummodo sacramentaliter confessi, & sacra Communione refecti fuissent, Prædecessores nostri Clem. Papæ VI. & Greg. Papæ XI. Benedictionem cum Indulgentia Plenaria per Legatos suos impertiiri non recusarunt. Sed & ipsa Congregatio Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præposita jam usque ab anno 1675. die 13. Aprilis, re diligenter perpenisa, censuit, Indulgentiæ Plenariæ largitionem in eos etiam, qui singularibus in Ecclesiam meritis nequaquam excellerent, recte & utiliter conferri, atque diffundi.

Quapropter Apostolica charitatis nostræ viscera dilatantes, & tam veteribus, quam recentioribus Ecclesiasticæ benignitatis exemplis inhaerentes;

quidquid extat illustre monumentum terribi Ecclesiæ sæculi in Epistola Sancti Cypriani, quæ in novis editionibus impressa est *ann. 12.* qua scilicet, in eorum gratiam, qui Libellos Martyrum obtulerant, & in mortis periculo versabantur; quam ipse æstivis ardoribus præcederet, quominus, ut operaretur, ad eos reconciliandos sese conferre possent; permitit, ut id, vice sua, à quocumque Presbytero, aut etiam Diacono, præstari queat: Novissimis vero temporibus, ex secunda Mediolanensi Provinciali Synodo constat, à sel. record. Prædecessore nostro Greg. Papæ XIII. omnibus Episcopis illius Provinciæ concessum fuisse, non solum ut ipsi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria moribundis Fidelibus impertiiri; sed etiam, ut aliis huiusmodi facultatem libere subdelegare possent. His igitur, aliisque exemplis, necnon rationibus, & tenentis relatis permoti, hæc nostra perpetuo vilitate Constitutio novas in hac materia regulas præferre, quodque olim, ut præmissimus, de alterius sententia deliberandum Nobis fuerat, nunc demum de concessa Nobis Apostolica potestate plenitudine absolvere, ac perficere constituimus.

Itaque primum volumus, atque decernimus, ut quæ facultates impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo constitutis, Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis nunc existentibus à Nobis, vel à Prædecessoribus nostris ad hunc diem concessæ reperitur, licet illæ in consuetis Episcopis Secretarii Brevium ad Triennium dumtaxat, vel alias ad definitum tempus indulta fuerint, nihilominus præsentis nostre Constitutionis vigore eo usque in suo robore maneat, quoad iidem Antiquitates earum Ecclesiarum, atque Diocæsium regimen obtineant, quarum favore, & intuitu easdem facultates à Nobis, & ab Apostolica Sede impetrarunt. Nos enim eas ad omne tempus huiusmodi, motu proprio, & auctoritate præfata, atque eorundem præsentium Litterarum serie, extendimus, & prorogamus.

Utque præterea uniuscuique ex Antiquitatibus præfatis, unum, aut plures pios Sacerdotes, sive Sacculares, sive Regulares, prout necessarium fore iudicabant, in eorum Civitatibus subdelegare valeant, qui, dum ipsi Antiquitates aliquo legitimo impedimento detinebantur, quamvis huiusmodi impedimentum diurno tempore occurrat, eorum vice, Benedictionem huiusmodi cum Indulgentia Plenariæ applicatione Christi fidelibus in præfato articulo constitutis impertiunt; alioque similiter per Diocæsium Saculares, aut Regulares Sacerdotes, quotquot pro numero animarum in Diocæsi existentium nec cessarios iudicaverint, ad prædictum effectum deputare, & subdelegare possint; necnon eodem à se deputatos, & subdelegatos remove, alioque inferiorum locum pro suo arbitrio, & prudentia subrogare valeant; iidem motu potestate, & tenore,

concedimus, & indulgemus.

Si vero aliquem ex Antifistibus nunc per Ecclesias constitutis, & præfata facultate gaudentibus, ad aliarum Ecclesiarum regimen Apostolica auctoritate transferri contingat; siue aliquis eorum sit, quorum favore consuetæ Litteræ Secretarii Brevium ad hunc diem expeditæ non fuerint; & denique quum novi Episcopi Catholicis Gregibus in posterum præficiantur; volumus, atque statuimus, ut singulis eorum hujusmodi facultatem à Nobis, siue à Romano pro tempore Pontifice postulantibus, Apostolicæ Litteræ in forma Brevis gratis per omnia expediantur, quibus prædicta facultas ipsis concedatur, non ad triennium, sed ad omne tempus, quo adeptum semel Ecclesiæ regimen obtrinebunt; adjecta etiam facultate subdelegandi, tam pro Civitate, quam pro Diocesi, non quidem in casu dumtaxat impeditenti cum nocturno tempore conjuncti, sed in omnibus, & per omnia ad normam eorum, quæ pro Episcopis nunc existentibus, & Indulto hujusmodi actu gaudentibus, supra statuimus.

Insuper pro Prælati inferioribus territorium separatim habentibus, cum vera qualitate nullius, & actiua in Clerum, & Populum jurisdictione; quamvis Prædecessores nostri hanc de præterito consuetudinem non habuerint; nihilominus de Apostolica liberalitate, ac simili motu, & tenore concedimus, & indulgemus, ut, si ab ipsis hujusmodi facultas petita fuerit, similes Litteræ in forma Brevis in posterum singulis eorum expediantur, juxta eandem formam, mutatis mutandis, quam pro Episcopis constitutumus; ne excepta quidem facultate subdelegandi, ut supra; dummodo ipsi Prælati hanc gratiam postulantes, Apostolicis Litteris nostris anno Incarnationis Dominicæ 1740. nono Kalend. Decembris datis, quarum initium est: *Quod sancta*, impressis in Bullario nostro Tom. 1. num. 7. obtinuerint; nimirum sacra Apostolorum Limina præscriptis temporibus visitaverint, & relationem status Ecclesiarum sibi subjectarum Apostolicæ Sedi exhibuerint; vel quatenus Prælationis honorem de novo accipiant, debitum juramentum in memoria Constitutione præscriptum antea præstiterint.

Dum autem hujusmodi facultatem Episcopis eam actu obtinentibus prorogavimus, & ampliavimus, ut præfertur; cæteris vero tam Episcopis, quam Prælati inferioribus in posterum eam petentibus, supra dicta forma, & amplitudine concedendam fore decrevimus; sequitur, ut hujusmodi Indulta nequaquam morte concedentes expirent; quum jurisdictione delegata in iis, quæ non iustitiam, sed gratiam concernunt; etiam post obitum delegantis manere debeat. Quoniam vero iidem Episcopis, & Prælati permitimus, ut hujusmodi facultatem, pro Incularum Civitatum, Locorum, atque Diocesum opportunitate, & necessitate, uni, vel pluribus Sacerdotibus in posterum subdelegare valeant; statui-

mus, atque decernimus, hujusmodi subdelegationes, per subdelegantis cessum, aut decessum similiter non expirare; sed potestatem ipsi tributam perseverare, utque ad superventum novi Præsulis, cujus arbitrio relinquimus, eosdem in hujusmodi officio confirmare, vel ab eo removere. Atque ita quicumque Antistes memoratam facultatem à Romano Pontifice semel obtinuerint, eo decedente, opus non habet pro illius confirmatione ad Apostolicæ Cathedralis successorem recurrere. Sicque etiam cedente, vel decedente Episcopo, seu Prælato, à quo eadem facultas in sua Diocesi, aut territorio subdelegata fuerat, nova concessione opus non erit pro temporaneo Vicariorum Capitularum, aut Apostolicorum regimine; quum Subdelegatorum auctoritas semper manere debeat, quamvis vel Episcopus ipse, aut Prælati, vel illius successor eandem ipsis non ademerit.

Hac igitur ratione animarum saluti consulentes, quantum Nobis in Domino licuit, piam consuetudinem applicandi Plenariam Pontificiam Indulgentiam Ecclesiæ Filij in mortis articulo constituitis, ampliari, & faciliorem reddere curavimus. Permittaque Venerabilibus Fratribus, ac Dilectis Filiis, Ecclesiarum Episcopis, & Præsulibus, facultate alios Sacerdotes ad hunc effectum, tam in Civitatibus, quam in Diocesibus subdelegandi, non parum levaminis eorum anxietatibus, & sollicitudinibus per Nos allatum esse putamus. Verumtamen ipsis declaratum volumus, non id propositum Nobis fuisse, ut eos prorurs eximeremus ab hoc paternæ charitatis officio per se ipsos adeundis miseris ægrotos, Plenariæ absolutionis in extremo articulo adipiscendæ cupidus; sed ut eorum pietatem opportune juvaremus, ne, dum ipsi aliis Pastoribus curis detinentur, dolere debeant, commissos sibi Fideles hoc tanto spiritali beneficio destitutos ex hac vita migrare. Qui vero piam hujusmodi opus per semetipsos exercere gaudent, (quod sane omnes, quoties legitime impediti non fuerint, facturos esse confidimus) meminerint, non id dumtaxat erga nobiliores, & potentes hujus sæculi, sed erga pauperes quoque, & abjectæ sortis homines præstandum esse. Qua de re utiliter legi poterit Prædecessoris nostri S. Gregorii Magni Homil. 28. in Evangelia ad cap. 4. Joannis: *Erat quidem Regulus, cujus filius infirmabatur Capthannum*, in qua mirabilem, atque cœlestem observat amantissimi Redemptoris nostri Jesu Christi agendi rationem, qui ad invensum ægotantum Reguli filium invitatus ire abivit, ad Centurionis Servum nec invitatus iturum se proficitur: „*Quid*, nescit quod Regulus rogar, ut ad ejus filium veniat, & tamen venire recusat; ad Servum vero Centurionis non invitatur, & tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præsentiam non dignatur adesse; Centurionis Servo, non designatur occurrere...“

Ut autem Indulgentiæ fructus à Fidelibus in

mor-

mortis articulo percipiatur, hoc sedulo agendum erit, ut Populus in Sacris Concionibus, & Catechesibus frequenter edoceatur, quod iis, qui gratiæ Dei, quam in Baptismo acceperunt, ingrati, per actualia peccata Spiritum Sanctum contristaverunt, & Templum Dei violare non sinit veriti, quantumvis æterna supplicia in Pœnitentiæ Sacramento condonata fuerint, nihilominus temporalis plerumque pœna Divinæ Justitiæ exsolvendæ superest, cujus remissio obtinenda est non solum per satisfactiones à Sacerdote Confessario in ipso Pœnitentiæ Sacramento pro mensura delicti impositas, aut per Christiānam tolerantiam earum adversitatum, à quibus mortalium vita immunis esse nequit; verum etiam per jejunia, elemosinas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia; alioquin verendum esset, ne salutis remedia ab Ecclesiâ benignitate Fidelibus suppeditata, paulatim in prava liberatitas, & licentiæ fomentum traherentur; compluribus sibi temere blandientibus de remissione tum sempiternæ pœnæ, per Sacramentalem absolutionem, tum temporalis, per Indulgentiæ Pontificiæ applicationem, in exitu vitæ impetranda; neque cogitationibus quam incertum fit omnibus non solum quæ hora, & quo mortis genere ex hac vita migrandum sibi fuerit; sed etiam an Indulgentiam, licet externo ritu sibi applicatam, cum effectu sint percipiuri. Præpostera æque, ac periculosa antiquis Ecclesiæ temporibus inoleverat consuetudo, ut non pauci ex iis, qui ad Baptismum nomina obtulerant, ad finem usque vitæ ipsius Sacramenti perceptionem prorogarent, quo scilicet interim ingenio libere indulgerent, ac demum quæc è vita discessuri essent, per salutare lavacrum, ab omni culpa, & tam ab æterna, quam à temporalis pœna soluti, ad cœlestem Regnum recta transferrentur; contra quos extant gravissimæ oburgationes Sancti Gregorii Nazianzeni in Oratione 40. & Sancti Joannis Chrysostomi in Homilia 1. super Acta: Sed, & Ecclesia Catholica pravam hujusmodi confidentiam improbare se declaravit, ut eos, qui in mortis periculo Baptismum susceperant, si convalescent à Sacris Ordinibus, & ab Officiis Ecclesiasticis arcendos, ac perpetuo irregulares fore decrevit.

Et quoniam Sacerdotibus, qui Fideles in extremo agone laborantes pie adjuvant, vel Ecclesiæ Sacramenta ipsis ministrant, Rituale Romanum injungit, ut si ægrotus Indulgentiam Plenariam legitima auctoritate concessam consequi valeat, eam illi in mentem reducant, proponantque quid ad eam consequendam agere debeat: ex his autem, qui ad hujusmodi statum redacti sunt, alii quidem cum plena cognitione integrum loquelæ usum retinent, alii vero loquendi facultatem amiserant, licet antea sincera contritionis indicia dederint, eaque, adhuc ratione utentes, identidem dare non desinant; ideo, quo certius prædicti omnes Indulgentiæ fructum consequi valeant, præfatis Sacer-

dotibus mandamus, ut omni ratione studeant moribundos Fideles excitare ad novos de admittis peccatis doloris actus eliciendos, concipiendosque ferventissimi in Deum charitatis affectus; præsertim vero ad ipsam mortem æquo, ac liberi animo de manu Domini suscipiendam. Hoc enim præcipue opus in hujusmodi articulo constitutum imponimus, & injungimus, quo se ad Plenariæ Indulgentiæ fructum consequendum præparent, atque disponant. Qua in re auctor Nobis est Sanctus Doctor Augustinus, qui in *Lib. 13. de Civit. Dei, cap. 6.* postquam horridam mortis speciem, eique renitentes hominum animos descripsit, quodque in aliis suis operibus non fœmel docuerat, mortem nimirum esse peccati originalis pœnam, ibi quoque asseruit, & confirmavit; hæc ad rem nostram apposite subdit: „*Quidquid tamen illud est in mortibus, quod cum gravi sensu adimit sensum, pie, fideliterque tolerando, augeat meritum pœnitentiæ, non aufero vocabulum pœnæ.* Ita cum ex hominis primi perpetua propagine procul dubio sit mors pœna nascens; tamen, si pietate, justitiamque pendatur, fit gloria renascens; & cum sit mors peccati retributio, aliquid quando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.

Pro impertienda vero Benedictione Fidelibus in mortis articulo constitutum, applicandaque ipsis Plenariæ indulgentiæ, quam nulla certa formula olim præscripta foret, sanctæ memoriæ Prædecessoris nostri Benedicti Papa XIII. anno Domini 1726. pijs quædam Præces, & Orationes ad hunc effectum adhibendas publicari mandavit; quarum exem-  
plo, in his, quæ opportuna judicavimus, inhaerentes, aliam de novo formulam, cum his, quæ in hac nostra Constitutione præscripta sunt, magis congruentem concessimus, & institutum, quam ab omnibus in posterum usurpari præcipimus; mandantes, hoc ipsum inculcari, & injungi in Apostolicis Litteris, quæ deinceps pro concessione prædictæ facultatis Indulgentiæ Plenariæ moribandis impertiendæ, ut præmissimus, expediendæ erunt.

Ac decernentes, ipsas præfatas Litteras semper validas, & efficaces existere, & fore, ut quoscunque plenarios effectus perpetuo forti, & obtinerent, atque iis ad quos spectat, seu spectabit in futurum, plenissime suffragari: Non obstantibus Apostolicis, & in Generalibus, seu Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, seu specialibus Constitutionibus, ac quibuscumque contrariis, etiam Congregationum S. R. E. Cardinalium Decretis, & Resolutionibus, etiam Apostolica auctoritate approbatis, roboratis, & pluries confirmatis; utibus quoque, sibiilibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Quibus omnibus, & singulis, ad præmissorum effectum, motu, scientia, & potestate præfatis amplissime derogamus, aliisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earundem præsentium  
O 2 tran-

transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus habetur, si foreat exhibitæ, vel ostensæ.

Formula igitur, quam pro impertienda Benedictione, & Plenaria Indulgentia moribundis Fidelibus applicanda, ut præsertur, in posterum adhibendam esse præscripsimus, talis est:

*Modus pro opportunitate temporis servandus, ut infra in Rubricis notatur, ad impertiendam Benedictionem in articulo mortis constitutus, ab his, qui facultatem habent à Sede Apostolica delegatam.*

**B**enedictio in articulo mortis cum solet impertiri post Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctiõnis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente, & integris sensibus erant, seu verisimiliter petissent, vel dederint signa contritionis; impertienda istidem est, etiam si postea linguæ, cæterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impoentibus, & qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens prædictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus; dicat: *Pax huic Domini, &c.* ac deinde ægorum, cubiculum, & circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam: *Asperges, &c.*

Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & absolvat. Si Confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus benedictionis efficacia, ac virtute, si tempus ferat, brevis admoet; tum instruat, atque hortetur, ut morbi incommoda, ac dolores in antea vitæ expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandam quidquid ei placuerit, & mortem ipsam patienter obundam in satisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsis verbis consoleatur, in spem erigens fore, ut ex divinæ munificentie largitate eam pœnarum remissionem, & vitam sit consecutus æternam. Postea dicat: *Adjutorium nostrum in nomine Domini. Qui fecit Cæelum, & Terram.*

*Antiphona.* Ne reminiscaris Domine delicta Famuli tui (vel Ancillæ tuæ) neque vindictam sumas de peccatis ejus.

*Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.* Pater noster, &c.

*Et ne nos inducas in tentationem.*

*R. Sed libera nos à malo.*

*Salvum fac Servum tuum (vel Ancillam tuam), & sic deinceps.)*

*R. Deus meus sperantem in te.*

*Et Domine exaudi orationem meam.*

*R. Et clamor meus ad te veniat.*

*Et Dominus vobiscum.*

*R. Et cum spiritu tuo.*

## O R E M U S .

**C**lementissime Deus, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem, secundam multitudinem miserationum tuarum respice propitijs Famulum tuum N. quem tibi vera Fides, & spes Christiana commendant. Visita eum in salutari tuo, & per Unigeniti tui Passionem, & Mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui Te Judicem propitium inveniat, & in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Christum Dominum nostrum.

*Tum dicto ab uno ex Clericis adjacentibus Confiteor, &c. Sacerdos dicat: Miseretur, &c. Deinde:*

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, & restituat tibi solam primam, quam in Baptismate recepisti; & ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, Indulgentiam plenariam, & remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, &c.

Per sancta humanæ reparationis mysteria, remittat tibi Omnipotens Deus omnes presentis, & futuræ vitæ pœnas, Paradyfi portas aperiat, & ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedic te Omnipotens Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

*Si vero Infirmus sit adeo mortis proximus, ut neque Confessionem generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos benedictionem ei impertiatur.*

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, prorogationis, ampliationis, & concessiõnis, mandatorum, statutorum, decretorum, ac derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, nonis Aprilis, Pontificatus nostri anno septimo. D. Card. Passionatus. J. Dacarius. Visâ Curia. I. C. Boschi. J. B. Eugenius. Loco X. Plumbi. Registrata in Secretaria Bre-vium. Publicata die 4. Maii anni 1747.

## CIRCA MATRIMONIUM,

*Ad eand. Part. 4. post Tractat. de Pœnitenti.*

*Causarum Matrimonialium judicium coram quibus, quo ordine, & forma peragenda.*

**B**ENEDICTUS EPISCOPUS,  
Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

**D**EI miseratione, cujus judicium incomprehensibilia sunt, & viæ in investigabilibus, in suprema Ecclesiæ specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum Pastoralis officii munus pertinere dignoscimus, subnatescentes ex infernalis hostis astutia, & hominum malitia abusus, quibus, & animarum saluti pernicies, & Sacramentis Ecclesiæ injuria inferunt, radicibus evellere, & potestatis Nobis desuper traditæ operam interponere, ut & humana cohibeatur temeritas, & veneranda Divinæ Legis servetur auctoritas.

5.1. Siquidem Matrimonii foedus à Deo institutum, quod, & quatenus naturæ officium est, pro educandæ proles studio, alisque Matrimonii bonis servandis, perpetuum, & indissolubile esse convenit; & quatenus est Catholicæ Ecclesiæ Sacramentum, humana præsumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronuntiavit, dicens: *Quod Deus conjunxit, homo non separat*: ad aures Apostolatus nostri pervenit, in quibusdam Ecclesiasticis Curis inconsulta nimis Judicum facilitate infringi, & temere, atque inconsiderate de eorundem Matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem Conjugibus fieri transvendi ad alia vota. Quos sane improvidos Judices humanæ naturæ conditione, & voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam præcipiti audacia Sanctum Matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum, atque indissolubilem primus humani generis Parens præmonuit, inquis: *Hoc nunc est ex ossibus meis, & caro de carne mea: Et illud additum est: Quamobrem relinquet homo Patrem suam, & Matrem, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una.*

5.2. Hujusmodi autem abolendæ pravitatis notitia diversis ex partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum Virorum, qui post primam, & secundam, ac tertiam, quam duxerant, uxorem, & nimiam Judicum præcipitantiam in nullitate Matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant; & similiter sceminarum, quæ post primum, secundum, & tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se junxerant, non sine puillorum scandalo,

& bonorum omnium detestazione, qui sacra Matrimonii vincula ita contempni, & temere perfirrigi debebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore, intimo animo ingemimus, & non prætermittimus Apostolicæ nostræ sollicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus nostri anno ad Episcopos illarum Partium; in quibus prædicta acciderant, plenissimis datis litteris, graviter conquestris sumus de hujusmodi pravitare, quæ in Ecclesiæ Dei tolerabatur, & ad eam abolendam eorum animos erigere, & pastoralem zelum accendere curavimus, quod etiam egimus cum aliis aliarum Regionum Episcopis, ubi hujusmodi pravum dirimendorum Matrimoniorum usum irrephense cognovimus.

5.3. Verum Nobis responsum est, id sæpe contingere partim ex culpa illorum Judicum, quibus, vel in prima instantia, cum Causa coram Jüdico Ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus nullus adest Judex, ad cujus Tribunal Causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, juxta de causa coram eo disceptari nequit, Causæ Matrimoniales hujusmodi à Sede Apostolica committuntur; qui vel ob incitiam, vel ob malam voluntatem, proclives sunt ad Matrimonia dissolvenda, atque eadem Matrimonia, levi, vel etiam nullo habito examine, irrita, ac invalida declarant; partim etiam ex facto Conjugum super nullitate suorum Matrimoniorum litigantium; cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem Matrimonii postulat, in judicio compareat, & Sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus Conjugibus in Judicium venientibus, altero, qui pro Matrimonio, altero vero, qui contra agit, sententia de nullitate Matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem Judicem appellationem interponat; vel quia litigantes in specie quidem discordes, re vera inter se concordēs sunt, & invicem colludentes, contractum matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia pars, quæ pro validitate Matrimonii stabat, ejusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata à Judice sententia contra Matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, & inceptum opus, ac Causam post primam Sententiam deserit: Quæ sit, ut deinde ambo Conjuges, vel unus eorum, ad aliud contrahendum Matrimonium se conferat.